

rio eorumdem. Prædictus D. Oddo suo nomine, & nomine dicti Jacobi fratris sui opposuit quod ipse, & dictus Jacobus non tenentur consignare ad regestum communis Asti Castra Curtismiliae Perleti & turris de Uzono, ac quaecumque bona immobilia, seu jura ad ipsos pertinentia in territorio dictorum locorum, pendenteque dicto processu facta fuit quædam existimatio super prædictis D. Oddone, & Jacobo per respectum ad terras & possessiones ad ipsos pertinentes, quas non consignaverunt ad dictum regestum de lib. millequingentis Asten reducendo ad mobilia. Vissaque dicta sententia, vigore cujus nobis factum fuit dictum mandatum; vissaque impositione, & existimacione eis facta, & quod in ipsa existimacione nulla fit specialis mencio, de quibus bonis ipsam existimacionem prædictam de ter mille quingentis factam super prædictis D. Oddone, & Jacobo per respectum ad terras, & possessiones per ipsos non consignatas ad dictum regestum Cassamus, & Abolimus in quantum esset, & pro ea parte, pro qua facta esset per respectum ad prædicta castra Curtismiliae, Perleti, & turris de Uzono, seu quarumcumque terrarum, & possessionum sitarum in territorio dictorum locorum. Prohibentes ne de cetero prædicta castra Curtismiliae, Perleti, & turris de Uzono, vel quaecumque terræ, & possessiones, seu quaecumque bona immobilia site, vel sita in territorio dictorum locorum pertinentia ad prædictos D. Oddonem, & Jacobum, vel ad homines ipsorum prædictorum locorum ascribantur, vel ascribi possint in præsentis regesto. Et prædictam cassationem, & abolicionem facimus de voluntate, consilio, & consensu Dd. Guillelmi Layolii, Rodulfi Garreti, & Thomæ Ysnardi jurisperitorum testium infrascriptorum. Actum Asti in domo Registorum populi anno Dom. MCCCXLVII. indictione quintadecima die nono octubris, præsentibus ad hæc vocatis, & rogatis dictis Dd. Guillelmo Layolio, Rodulfo Garreto, & Thom. Ysnardo jurisperitis, & de prædictis dictus D. Johannes iudex prædictus, nec non dicti domini officiales præceperunt per me Franciscum de Tuerdo notarium fieri publicum instrumentum. Et ego Franciscus de Tuerdo publicus imperiali auctoritate notarius, & notarius dictorum DD. Johannis, & officialium prædictorum prædictum instrumentum recepi, & dictam impositionem, & abolicionem prout superius transcripsi de libro secundo portæ archus regesti novi prædicti inchoati ut supra, & in testimonium apposui signum meum consuetum, & me subscripsi.

*MCCCCLXXX lege MCCCCLXXXVIII col. 419. n. 389. lin. 17. vocandi adde & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione remota decernas faciens, quod decreveris per censuram Ecclesiasticam firmiter observari; testes &c. lin. 20. anno I. l. anno X. signatum Henricum de Benzis.*

*MCCCCLXXXVI. col. 421. n. 391. corrige indictiones l. 9 IV. pone V. lin. 37. III. pone II. lin. 54. dele unum servientium.*

*MDXXIX. col. 425. n. 396. Monasterium de Latronorio, de qua agitur in hac charta adhuc exi-*

*stebat anno MDXXXIV. ut ex aliis Tabularii Episcopalis notis ostenditur. Nunc vero juris est Principis Centurionis Morzaschi Domini, intra cujus fines illud erat fundatum.*

*MDXXXI. corrige MDXXXVI. col. 426. n. 397. Extra locum suum hoc positum fuit diploma; pertinet enim ad annum MDXXXVI., ut recte habet Turrii exemplar. At quomodo conciliandi anni Regni ejus in fine appositi cum annis Imperii, & Historiæ Emendandi ergo, & non XXI. sed XVI. scribendum.*

*Ad col. 538. l. 7. Querit Lumellius utrum Gamundium sit Castellatum oppidum, quod hodie conterminum est Sezradio, & licet in rectam inclinet affirmantem sententiam, attamen non certo documento, vel rationibus, sed conjecturis nititur solummodo. Ut autem rem extra omnem controversiam ponamus; ex Tabulario oppidi in medium proferimus consinium Sezradii descriptionem sub finem sæc. XIII. confectam, in qua aperte oppidum Gamundi Sezradii finitimum dicitur, eoque loco ac regione, ut clare appareat non aliud esse, nisi hodiernum Castellatum quod nomen vetere obsoleto primum obtinuit sub initio sæculi XIII.*

**E**t primo incipiendo in fine Stanavassii, ubi cadit in flumen Burmidæ, & ubi incipit fossalutium, & eundo per dictum fossalutium apud castrum Spinæ usque ad viam Gamundinam, & quod fossalutium est divisio inter territorium Gamundi, & territorium Sexadii, & per dictam viam Gamundinam usque ad buscum Spinarum, quæ est super terras Carcabaliæ Malvicini inter dictas terras, & dicto buschetto eundo recte usque ad ultimum de Tertonenis, quæ est prope Levatam, & a dicta domo eundo per dictam Levatam usque ad Stanavassium usque ad Crosetam, & a dicta Croseta eundo recte usque in rituali Vallis Gorrini, & post modum eundo per dictum ritale usque ad murum Guastandum, & a dicto muro Guastando veniendo per quamdam taliatam, quod dividit poderium Montaldi ab illo Sexadii usque ad iter, per quod itur ad Cremorinum, & descendendo in valle de Rivali, & ab ista valle de Rivali eundo inter posse dicti Montaldi, & Sexadii usque ad boschetum communis Ripaltæ, quod vocatur Brozoleta usque ad ritalem Gallinæ veniendo versus montem Plalii, sicut pluit aqua tenendo super subius Pacium nemorum, & a monte Perlo veniendo per ritale Scapiani usque ad dictam Levatam, & a dicta Levata eundo usque ad pontem Nizolaschi eundo per dictum Nizolascum recte usque in flumen Burmidæ, & veniendo juxta, & per medium flumen Burmidæ usque ad vadum Lignorii, & ad vadum Lignorii accipiendo totam Gavonatam, quæ est jurisdictio nobilis de Firuffinis revertendo usque ad Bucam ritualis Cervini, ubi cadit in flumen Burmidæ, & abinde eundo semper per mediam Burmidam usque ad finem suprascripti Stanavassii, de quo supra scriptum est; & hæc est confinia terminata jurisdictionis, & poderii terræ Sexadii, & extracta fuit per nobilem Antonium Zoppum de Firuffinis a protocollis, & instrumentis existentibus in campanili civitatis Alexandriæ.